Quelle: https://manuscripta.at/?ID=446
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

stratores transtulit. Tristatae autem
nomen est apud hebreos secundi gradus post
regiam dignitatem, de quibus scriptum
est: verumtamen ad tres non pervenit. qui
principes equitum peditumque erant
et tributorum, quos nos magistros
utriusque militiae et praefectos annonarum
tituli nominavimus. Omnes inquit
in curribus et in equis lorica armati
galea et clypeo obsidebunt te per
circuitum, et dabo eis iudicium, ut quos
reliqueras et quorum irritum feceras
pactum, ab his iudiceris, et iudica-
bunt te iudiciis suis quasi adulte-
ram. Et ponam inquit zelum meum
in te, quem exercent tecum in furore.
Zelus enim meus est, et inter fideli hostes
etiam non servatae. Nasum inquit tu-
um et aures tuas praecident quasi ad
ulterae et deprehensae in stupro, ut defor-
mata placere desistas. Quomodo enim
in facie omnis pulchritudo oris in
narium decore consistit, et in auribus
e quibus in feminis uniones et mar-
garita dependent, ita dignitas re-
gis et iudicum, quae in ore auribusque
signatur, eorum gladio praeciditur. Ipsi filios
tuos et filias tuas capient. Tuos inquit
et tuas, non meos et meas, quia de ad
ulterio generati sunt. et cetera vorabuntur
incendio et denudabunt te inquit
vestimentis tuis quibus te ornaveram
et vasis gloriae tuae quae tibi ad ceremo-
nias templi aurea argenteaque con-
cesseram de quibus scriptum est: Ego de-
di eis aurum et argentum, et ipsi fecerunt
ea baal. Haec autem omnia faciam ut pro-
dita pulchritudine et vultu ve-
neficio deturpato quiescat aliquando
scelus tuum, et fornicatio quam didi-
cisti et exercuisti in egypto, ut post-
quam nasum auresque perdideris, ne-
quaquam audeas oculos tuos levare
ad chaldeos et amatoribus pristinis os-
tendere feditatem tuam, nec recorde-
ris amplius egyptiorum libidinis quorum
magnitudine carnium delectabaris.
Quae universa dicuntur sub translati-
one adulterae et propter adulterium de-
turpatae, ut nequaquam ultra glorietur
in decore suo, sed erubescat in fedita-
te, quam magnitudine meruit vo-
luptatum. Quicquid de ierusalem tropicos
dictum et ad animam referri potest quae
virtutibus dei iuncta conplexu peccati
adulteravit in vicia et recessit ab
eo et patefactis universis sceleribus eius
denudata est atque turpata et ostensa
omnibus, ut a scelere suo aliquando desis-
tat, ne glorietur in nominis dignitate
sed pro mali conscientia et recordatione e-
gypti oculos ultra ad celum non au-
deat tollere. Unde et nasus ei praeciditur
et aures amputantur, quia odorem bo-
nae flagrantiae verterat in fetorem.
et audierat iudicium sanguinis quod
non solum de ore et auditu sed de visu
quoque intelligimus, quo quia male fu-
erant abusi, sampson et sedechias
privantur. Surdum quoque deus et mutum
fecit ne lingua eorum pertranseat usque
ad terram, et tactus omnis aufertur in
his qui vitam penitus perdiderunt, et haec
fiant ut igni cuncta purgentur, et
pereat egypti fortitudo, nec ultra
oculos suos ad mala possit attollere